



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLXXVI. Christus Parvulis Manum imponit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

356 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum*
dian, quàm prompta sit ad dandam Veniam; &
quàm verè Pœnitens David Ps. 50. de Clementissi-
mo DEO dicat: *Cor Contritum & Humiliatum DEVS*
despicies.

MEDITATIO CCCLXXVI

Christus Parvulis Manum imponit

Matth. 19. v. 13. Marc. 10. v. 13. Luc. 18. v. 15.

PUNCTUM I. *Tunc oblatis sunt ei Parvuli, ut Manus eis*
imponeret, & oraret. Matth. 19. v. 13. Per hanc
Manuum Impositionem, & Orationem designatur,
& quasi præfiguratur Sacramentum Confirmationis
in quo Christus per Episcopum idem facit. Unde se-
cut parentes Parvulorum, vel ipsi etiam Parvuli,
qui fuerunt adultiores, pro summa gratia habuerunt
quando Christus illis Manus imposuit, & oravit, sive
benedixit illis; ita pro summa gratia habendum est
Sacramentum Confirmationis, nec ejus effectus fru-
straneus, & inutilis per torporem nostrum redden-
dus; sed in illius virtute contra visibiles & invisibiles
hostes fortiter & constanter pro Fide, pro Virtute,
pro Gratia primæ, in Baptismo acceptæ, conservatio-
ne pugnandum. Ex hac Manuum impositione etiam
discant illi, qui Proximi Salutem procurant, duo se
præstare debere; primum, ut manus ei imponant,
id est, opere juvent; alterum, ut pro eo orent.

PUNCT. II. *Discipuli autem increpabant eos (scilicet*
offerentes; vel ut Marcus c. 10. v. 13. ait: Commi-
nabantur offerentibus, id est, serio vultu repellabant
ne Christum à conversatione cum adultis, atque à
Prædi-

Prædicatione impedirent) *JESVS* verò ait eis: *Sinite Parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim Regnum Cælorum.* Matth. 19. v. 14. Considera, si Christus Apostolos, bono fine & zelo impediētes adductionem Parvulorum, reprehendit, & ut Marcus ait: *Indignè tulit:* quantò magis reprehensione & indignatione digni sint futuri, qui scandalizatione, vel seductione Parvulorum, eos à Christo abducunt, vel qui debitam curam ipsis non impendunt, ut Christo per Gratiam, & aliquando per Cælestem Gloriam conjungantur. Perpende etiam, quare Christus liberum ad se accessum, & Regnum Cælorum Parvulis promittat: nempe propter eorum Innocentiam, Humilitatem, & Simpliciter. In his imitare Parvulos, & patebit tibi liber accessus ad Christum, & janua Regni Cælorum: aliàs inquit Christus Marc. 10. v. 15. *Quisquis non receperit Regnum DEI, velut Parvulus, non intrabit in illud.*

PUNCT. III. *Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos.* Marc. 10. v. 16. Si hoc Christus præstitit Parvulis per ætatem, quantò magis idem præstabit Parvulis per Virtutem Humilitatis? Amplexabitur enim illos, sibi conjungendo per Amorem & Gratiam: imponet illis Manum, protegendo eos ab hostium infidijs, & adversis; & præterea Benedictionibus, ac specialibus Favoribus replebit.

